

ctor, cum nec res ipsi, sed saltem persona devicta sit. Verum expressè facultatem ædificandi non solum necessariò sed utiliter quoque Colono facit *l. 55. § 1. ff. d. t.* accedit, quod impensas tam utiles quàm necessarias repetere possit colonus *l. 7. §. 16. ff. solut. matrim.* quare ab effectu ad causam quoque argumentandum. Ad *d. l. 15. §. 1. locat.* respondetur, eam intelligi, si conductor nolit reficere, tenetur enim huic locator usum rei præstare *l. 9. pr. & l. 33. ff. locat.* Quod alterum attinet, dico: Meliorem hic esse Conditionem Coloni quàm Usufructuarii; is enim pro mercede utitur *pr. f. Locat. Cond. l. 23. ff. Comm. divid.* hic vero gratis & ex beneficio; favorabilia verò sunt Jura titulo oneroso quàm lucrativo acquisita & sic facilius quoque extendi possunt. *per cap. odia de R. f. in 6.* De 47
Tutore & Curatore multo magis affirmaverim, quoniam sunt loco domini *l. 27. ff. de Administr. tut. l. 11. §. 7. ff. Quod Vi aut Clam* imò loco Patris *Carpz. f. Prud. Eccl. L. 2. Def. 47. n. 3.* quoad liberam nempe administrationem *Wesemb. π. Tit. de Adm. Tut. n. 2.* & Utilitatem Pupilli *Dn. Brunnem. consil. 2. n. 12.* & sic extractione furni prædium Pupilli vel minoris melius reddere omnino possunt. Ampliatur prædictum Axioma (III) ut quilibet in suo furnum 48
possit construere, etiamsi per tempus immemorabile ad alium furnum iverit. *Rosenthal. de Feud. cap. 5. concl. 25. n. 3. Petr. Jacob. Pract. Aur. Libell. de furn. n. 11.* Istius Domino enim nullum Jus quæsitum est, quo in futurum possit cogere, *Borell. de Magistrat. Edict. L. 4. c. 7. n. 28. & n. 31. Jacob. de S. Georg. de Feudis vers. Et cum Moleudin. n. 4.* hinc quando quæritur: An Subditorum aliquis, si Per tantum temporis spatium isti ad Domini furnum iverint, in suo furnum ædificaturus prohiberi possit? negan-